

Consumata eorundem Actorum perlustratione Actisve in sua integritate (praeter unum Rescriptum Regium circa Banderialistas Nro. 117, 1815. insignitum, ac differentiam illam, quod unus liber protocollorum regnicolarum de Anno 1752. producatur, in reversalibus vero unus liber de Anno 1762 provocetur — utriusque proinde defectus suppletionem in cointelligentia cum I. D. Camer. C. Joanne Drašković Illustrissimo Domino Praesidi delata) juxta reversales quoque originales Domini Regni Archivarii repertis, ac in fasciculos juxta Materias redactis — siquidem ex supraattacti articuli regnicolaris 28. 1836. cognosset procedens Deputatio, quod D. Ludovicus Jellachich et Ludovicus Gaj, et quidem prior nexus Croatiae cum Dalmatia, posterior vero Historiae patriae ab Epocha Ferdinandi I. illustrationem in se assumpserint, Domino Illustrissimo Praesidi provincia delata est, ut de eventu appromissarum illustrationum a fatis Dominis Offerentibus informationem capere, talesque in quantum nefors elaboratae essent, pro ulteriori Procedentis Deputationis usu isthic subternendas procurare dignetur.

Cum mens regnicolarum in supracitato Article 28., 1836. expressa illa fuerit, ut pro elaborandis materiis Municipalibus quo plures laboris socii et adjutores ex regnicolis acquiri contendatur, tam ad sensum patriotici hujus Regnicolarum studii, quam et ideo, quod certum Deputatio isthaec teneat, ita saltem praedestinatum scopum se assecuturam, si regnicolarum in rebus patriis versatorum, quo fieri potest, latius cooperamen consecutura esset, propositioni Illustrissimi Domini Praesidis in eo, ut D. Varasdinensis Comitatus Judium Joannes Kukuljević, qui a pluribus jam annis in conquirendis datis historicis Patriae hujus nobili zelo desudat, ad concursum in elaboranda Materia de rebus ad historiam domesticam spectantibus vocetur, prona assensit, congruam provinciam Eidem Illustrissimo Domino Praesidi deferendo.

Lecta est postmodum consignatio Materialum in objectis regnicolaribus, quorum elaboratio Deputationi huic concredita est.

Materiae praeviae in 28 punctis dexterrimo denati Archivarii Kirinić calamo concinatae, habita reflexione privilegiorum, legum, aliorumque datorum, et diplomaticorum et historicorum, a quibus ut cum fundamento tractari valeant, regressus fieri debet, illius sunt indolis, quod Sessionalem concertationalem pertractationem tunc tantum recipere valeant, si praevis singillatim in forma seorsivorum relate ad omne objectum operatorum examinatae ac elaboratae fuerint, eapropter in illam Deputatio concessit mentem, ut Materiae eadem intra Commembra Deputationis pro combinatione, elaboratione ac redactione distribuuntur, atque, quemadmodum Illustrissimus Dominus Praeses, Magnificus item D. Benedictus Lentulaj, ac Spectabiles, ac Perillustres Domini Franciscus Zengevall, Joannes Raizner, Fridericus Pissachich, Franciscus Novak, Franciscus Rizman, Ludovicus Sinković ac Franciscus Žigrović operam suam prone obtulerunt, ita earundem Materialum distributio facta est, modalitate sequenti, et quidem:

a) Illustrissimo Domino Praesidi Materiae sub Nro. 1., 15., 16. et 17.

b) Magnifico Domino Benedicto Lentulaj sub Nro. 11., 12. et 13.

c) Friderico Pissachich sub Nro. 20., 22.

d) Francisco Novak sub Nr. 23. et 24.

e) Francisco Zengevall sub Nr. 2., 3., 4., 5., 6.

f) Joanni Raizner sub Nr. 8.

g) Francisco Rizman sub Nr. 25.

h) Ludovico Sinković sub Nr. 26. et 27.

obtigerunt, — Dominis tandem Magnificis D. Consiliario Metello Ožegović sub Nr. 7., 21. ac Ludovico Gaj sub Nr. 8. velut praevis jam eatenus requisitis reservatae manserunt.

Ut autem cum fundamento procedere valeant, Acta ad illustrationem cujusvis Materiae spectantia, quae uti supraattactum est, in seorsivos fasciculos juxta seorsive confectos Elenchos redacta sunt, laudatis Dominis erga reversales Elencho subinserendas medio Dominorum Joannis Raizner ac Francisci Žigrović extradari disposita sunt — relate ad Dominum Condeputatum Fridericum Pissachich hac vice ob infirmitatem absentem D. Illustrissimus Praeses munus concernentia Acta eidem communicandi gratiose in se assumpsit; remanserunt itaque adhuc Acta Materiae sub Nr. 7., 21. et 28. admensae, quae cum D. Consiliarius Metellus Ožegović testantibus reversalibus Domino praesistenti Illustrissimo Comiti Praesidi extradatis elaboratione Materialum sub Nr. 7. et 21. occupari cernatur, D. vero Ludovicus Gaj primodo teste praecitato Article regnicolari 28., 1836 Materiam sub Nro. 28. adnotatam elaborandam in se assumpsisse apparent, certumque teneat procedens Deputatio, fatis Dominos pro noto suo nobili in patriam studio, continuationem accepti laboris haud declinatuos, iisdem consignandi provinciam in se assumpsit toties laudatus Illustrissimus Dominus Praeses.

Cum porro Materiae sub Nro. 9. in objecto contributionis Croatiae, ac 14. circa nexum Croatiae cum Slavoniae sub praesidio meritissimi patriae viri denati Illustrissimi Domini Consilarii Aulici et Tabulae Judiciae Praesidis Aloysii Busan jam elaboratae, Regno tamen minus relatae, adeoque usui Regnicolarum,